

Vers. 5.

Deus prope ad me. ] Ebræ. לִי הִשְׁתַּחֲוֶה: id est, Festina mihi. Græc. & vulg. Lat. Adiuua me. Hieronymus, Festina pro me.

EXPOSITIO Psalmi huius satis est aperta: & vt dixi, supra Psalmô 40. versibus quinque postremis posita: vbi etiam, quæ notanda videntur, obiter sunt annotata.

## PSALMVS LXXI.

## ARGVMENTVM PSALMI.

**C**aret hic Psalmus titulo: vnde sunt, qui putant eum superiori coniungendum. Precationem habet à nimis adflicti vsq; ad postremos tres versus, 22. 23. & 24. quibus, vt assolet, votum diuinae laudis accepto adiutorio Dei persoluendum facit. Orat autē vt liberetur & eripiatur è manu hostium impiorum ac violentorum, de quorum contra se malitia conqueritur in facie Dei. deinde & simul immiscet argumenta fiducia, quibus suffultus bona spe diuinum implorat auxilium. Sunt autem omnia clara quidem, vt non sit opus diligenti & accurata expositione: ita tamen affectibus fidei ac spei erga Deum ampla, opulenta & præcipua, vt verè beatus dici possit, si cui non verba tantum Prophetæ, sed spiritum & affectus pietate cordis assequi datum fuerit. Apparet autem Psalmum hunc à Dauide iam atate grandi compositum, propter vers. 9 & 17. & 19. vnde conicitur, quòd de ea adflictione eripi petat, quàm à filio Absalom proficatus tulit.

VERS. I.



**M** te Domine spem posui, ne confundar in aeternum.

2. In iustitia tua libera me, & eripe me: inclina ad me aurem tuam, & salua me.

3. Esto mihi in rupem fortitudinis, ad quam semper confugiam: manda ad saluandum me, quoniam petra mea & munitio mea es tu.

4. Deus meus eripe me de manu impij, de manu iniquè agentis & violenti.

5. Quoniam tu es expectatio mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea.

6. Super te innixus sum ex utero, de ventre matris meae tu me extraxisti, in te laus mea semper.

LECTIO.

In rupem fortitudinis. ] Ebr. לְצִוְרֵי מַעֲדָה. Græc. & vulg. Lat. In Deum protectorem. Hieron. Robustum habitaculum. Sic & Iustin. & Pagninus.

Vers. 3.

Ad quam semper confugiam. Ebr. לְבֵרֵא הַמַּיִד. Græc. & vulg. Lat. Et in locum munitum. Hieron. Vt ingrediar iugiter. Sic & Felix & Pagninus.

Manda ad saluandum me. ] Ebr. צִוֵּה לְהוֹשִׁיעַנִי. Græc. & vulg. Lat. Vt saluum me facias. Hieronym. Præcepisti vt saluares me.

Vers. 4.

De manu iniquè agentis & violenti ] Ebr. מִכַּף מַעֲרֵל וְהַיָּד הַרְשָׁעָה. Vulg. Lat. De manu contra legem agentis, & iniqui. Hieron. De manu iniqui & nocentis. Pagn. E manu peruerterentis & opprimentis. Iustin. De manu iniqui & vim inferentis.

Vers. 6.

Super te innixus sum. ] Ebr. עָלֶיךָ בִּטְמַכְתִּי. Græc. & vulg. Lat. In te confirmatus sum. Hieron. A te sustentatus sum.

Tu me extraxisti. ] Ebr. אָתָּה גִּירָה: id est, Tu es extractor meus. Græcus & vulgata Lat. Tu es protector meus. Pagn. Tu eductor meus es Felix: Tu extrahens me.

Vers. 1.

In te Domine spem posui, ne confundar in aeternum. ] Hic versus duo habet, precationem, & precationis causam. Precatio est, quòd dicit: Ne confundar in aeternum. Causa precationis, quòd præmisit: In te Domine spem posui, ob id, ne vnquam confundar: quasi Propheta hac se dicat ratione spem suam in Deum collocasse, ne confunderetur vnquam, veluti expertus spes humanas esse incertas, fallaces, & confusioni obnoxias. Verùm intuenti Prophetæ affectum, non aliud agitur, quàm vt dixi: primùm petit ne confundatur, deinde causam petitionis cur hoc petat, præmittit: videlicet hanc, quòd spem suam in Deum posuerit. Et hic mihi videtur affectus nō obiter transeundus, sed diligenter inspiciendus. nam nō est aliunde qualiscunq; æstimanda petitio, quàm ex ipsa causa. Expēdamus igitur primùm quidē in se quid sit quòd petit, cū dicit: Ne confundar. Verùm qd de hac petitione Prophetæ sentiendū, & qualis illius fuerit affectus, ex præmissa causa iudicemus, & iudicādo mentib. nostris inculpamus.

PRÆCATIONIS.

Ne confundar. ] Habet hoc caro nostra peculiare, quòd egerrimè sustinet confundi, ita vt rarissimū sit, qui vel in propria conscientia apud seipsum turpitudinis alicuius conuinci ac confundi, nedum conscijs ac irridentibus alijs mortalibus sustineat. Et hoc ingenium ex primorum parentum labe cōtraximus: vnde habemus hoc vitij, quòd vel ipsi de nobis præclarè sentimus, vel ab alijs sentiri cupimus. quæ corruptela ita pectoribus nostris, imò intimis medullis penitus insedit, vt etiam qui nec intelligunt, nec sentiunt se propriæ laudis cupiditate teneri, molestè tamen ferant si confundantur & irrideantur. Quid est igitur quòd Propheta orat, ne confundatur in aeternū? cū alius propheta dicat: Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, &c. Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei. Fatetur ille dignum esse se cum populo, qui confundantur: & hic noster confusio deprecatur, idq; mox Psalmi initio. Duciturne carnis affectu, quo illa confusionem fugit? Certè qui eo modo legūt, quem ipsa, vt dixi, verborum superficies obijcit, tale quid cogēt admittere. Est enim haud sincera spei causa, ob id spem ponere in Deum, ne confundaris, ne ruborē subire cogaris, ne irridearis. Itaque ne demus impurum hunc affectum Prophetæ, quòd præmisit: In te Domine spem posui, tanquam precationis huius causa intelligendum est & considerandum.

Dan. 9.

In te